

§. 20. *Jucundè* autem discunt, tum si *finis* jucundus ipsis proponatur, tum si *media* discendi sint jucunda. De fine §. 19. dictum est. Media discendi jucunda sunt, si ludendo docentur. Quò mirificè faciunt Comœdiæ & Fabulæ. Hoc fine confectæ sunt Chartulæ Lusoriæ Geographicae, Astronomicae, Historicae, Chiromanticae, &c. & tesseræ Alphabetum continentes, quarum meminit Hieronymus ad Paulinam. Item Sales, Epigrammata, Picturæ, Carmina, Memorialia. Quò pertinet *Ethica picta* egregia, Principi Juventutis Altenburgico, quem fata terris tantùm ostenderunt, destinata: Emblemata *Alciati*, *Saavedrae*, Politica; & *Hutteni* Theologica in Schola Cordis, & Ludus ille artificiosissimus, cujus meminit Fr. Christian Rosen-Creuz / in Nuptiis; ubi ad modum Ludi Latrunculorum virtutes in albo, vitiaque in nigro habitu, mirâ in se invicem arte pugnabant.

§. 21. Diximus primùm de causa habitus